



COROLLARIA.

1. An in statu integritatis futura fuisset Respubl. ? A
2. Divitia & opes non faciunt Rerumpubl. aufferentiam.
3. Poena irrogantur secundum justitiam commutativam.

Tu bene prospicies olim Patriæ, quia REGNI
Optima quæque vides, optima quæque doces.

*Pereximio Literatissimoq; Dn. Respondenti,
Concivi ac Amico suo suavissimo amice
gratulans f.
M. Henricus Bröselmann Tremon.
Gueſtphal.*

R*Ex quid sit, quid Regia jura, docebis, Amice?
Arguis ingenium, calamus, manus arte polita.
Macte tua virtute! capis Themidiq; coronam.*

*Dn Contubernali gratulab. f.
Joh. Probst.*

R*Egem depingis Söllingi; regia quare
Hæc Doctrina tua est. Gratulor ergo tibi.*

*Conterraneo Conterraneo
Hermannus Bakius Trem,
Gueſtphalus.*

Q*Uod praestes doctis multum inpalescere chariti.
Quam nunc exponis docta pagella refert,
Ac qua mox dignè referet Thymbraus Apollo.
Pro meritis rictu, digna brabea, Tibi.*

*Ita Eximio ac Pererudito Dno Resp!
Amico suo suavissimo gratulab:
deproperabar:
Joh. Vereggius. Osnabrug.*



214.

Q. D. B. V.
Ex Theologia Naturali

DE

**NATURA
DEI,**

PRAESIDE

**GEORG. FRIDERICO
SCHROEERO,**

Log. & Metaph. Prof. Publ.
disputabit

**M. GOTTFRIED BALTHASAR
SCHARFFIUS,**

Lign. Silesius,

Die XXVII. Sept. Anni M DC XCIX.

In Auditorio Majori.

VITEMBERGAE,

Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

14

I.

Multi reprehendunt & exagitant Nominales, qui infinitam Dei Essentiam definitione declarare studuerunt. Verba Nominalium in meliorem partem interpretatur *Molina*, q. 3. in *Thom. art. 5. p. 58.* atque inter Nostros sunt *B. Klotzius* in *Pneumat. Disp. 4. §. 36. p. 162.* & *B. Donati* in *Pnev. p. 111.* qui totum hoc discrimen inter eruditos non tam in rei, quam verborum controversia positum esse arbitrantur. Nam *Hurtadus*, qui *Disp. 9. Metaph. Sect. 4. pag. 472.* Deum in praedicamenti metaphysici partes reponit, non concedit *Disp. 4. Logic. Sect. 2. p. 112.* quod Deus vel sit species, vel aliud universale logicum. *Franciscus Bonae Spei*, qui *Tractat. 4. Log. Disp. 2. dub. 3 n. 72. p. 130.* Deum in numerum specierum refert, sentit *Tractat. 2. Disp. 4. dub. 7. resol. 6. p. 96.* quod species in uno quoque individuo caeteris, ut loquitur, incompossibilibus conservetur. Quod univocus entis ad inferiora respectus, quem tuetur Scotus, Deum generi logico non subjiciat, *Poncius* in *curfu Philosoph. Disp. 11. Logic. q. 3. concl. 2. p. 177.* & *Boydin Part. 1. Philosoph. Scoti Part. 1. Logic. q. 6. p. 233. seqq.* comprobare annuntiantur. *Timplerus*, qui *L. 4. Metaph. probl. 4. pag. 378.* & *Goclenius*, qui *Part. 2. Problem. probl. 15. p. 56.* & in *Miscellan. Theol. & Philosoph. p. 67.* genus Deo tribuunt, non intelligunt aliud, quam analogum. Inter Carresianos sentit *Wittichius* in *Theol. Pacif. cap. 14. n. 192. p. 164.* quod certa divinae Essentiae explicatio possit fieri; hunc objurgat cum *Maresio Mastricht*, in *Gangraen. Novitat. Cartesian. Sect. 1. poster. cap. 5. p. 217.* quod Deum logice definire audeat. Est vero omnis quidem definitio essentiae explicatio; non omnis tamen essentiae explicatio est logica ejus definitio. Ergo plus illi *Wittichio* tribuunt, quam res



426406

& veritas ipsa concedunt. Nostra fit conclusio: Essentia Dei singularis & una est exclusive simpliciter, nullum ex iententia Porphyrii admittit genus, nulla fit species nullumque individuum logicum. Hinc ad Essentiam Dei declarandam inepta est omnis definitio, quae ex genere & differentia specifica componitur.

II.

Natura, quam ducem & lumen nostrum sequimur, eique paremus, nullum Trinitatis inveniendae principium vel dedit, vel ingenuit hominibus. Ridet sapientiores triangulum numerumque ternarium, argumenta Trinitatis, ut putant multi, evidentissima; quibus mysticae Theologiae amatores, speciatim Bungus de Numer. myster. p. 108. seqq. Flud T. 1. macrocosm. tract. 1. l. 1. p. 20. & Jacobus Boehm. de tribus divinae Naturae principiis (de quo vid. Henricus Morus q. 4. censur. Philos. Teutonic. p. 546.) vehementer delectantur. Generatio, quae nota est hominibus, cum multitudine rerum conjungitur. Hinc mundi creatio, quam actionem Dei artificialem vocat Raymundus de Sabaude cap. 46. & c. 47. Theol. Natur. actionis, ut ille loquitur, naturalis seu aeternae generationis argumentum esse non potest. Si Charitas, Bonitas, & Beatitudo fundamenta Trinitatis cognoscendae essent firmissima; omnes Trinitatis personae, in quibus haec summa sunt, alias personas generarent, alias quoque spirarent. Hoc pariter responsum dainus illis, qui virtute intellectus Filium, & actu voluntatis Spiritum S. demonstrare conantur. Sic olim contra multos Scholasticos Durandus, contra Keckermannum noster Musaeus de Usu Principior. Ration. & Philosoph. in controuv. Theol. Disp. prior. access. p. 661. seqq. & contra Claubergium & Smite-

rum

rum Mastricht Sect. poster. Gangraen. Novit. Cartes. cap. 17. p. 310 seqq. rectissime statuerunt. In suum Bisterfeldium animadvertit Leydeckerus Lib. 1. c. 21. de Veritate Religion. §. 75. p. 32. & in eodem cum illis errore versatur Poiret lib. 3. cogitat. rational. c. 8. propos. 1. p. 227. seqq. non tamen omnes, qui cum Cartesio sentiunt, hanc opinionem amplectuntur; sed contra omni ratione pugnant Wittichius in Theolog. Pacif. c. 1. n. 6. p. 5. & Allinga Decim. Erottem. Decad. p. 35. Errore vero majori ducitur Auctor Principior. Philosoph. antiquiss. & recentiss. cap. 1. §. 6. & 7. p. 3. seqq. qui Filium Dei imaginem, & Spiritum S. ipsam voluntatem esse arbitratur, nomen personae pro nihilo putat & contemnit; nec quicquam magis in votis habet, quam ut tollatur e medio; & ita Turcae, Judaei, caeterique populi omnes ad idem Fidei dogma approbandum conspirent. Non omnes, qui memorata argumentandi ratione utuntur, statim voce & consensu confirmant, quod Natura Trinitatem notam nobis efficiat, & in horum numero sunt Suarez. Part. 1. in Prim. Thomae tract. 3. l. 1. cap. 12. n. 10. p. 375. & lib. 9. cap. 4. p. 477. seqq. Gregorius de Valentia Tom. 1. Comment. Theol. disp. 2. q. 6. punct. 1. p. 825. & q. 8. punct. 2. p. 844. seqq. Vasquez Tom. 2. in Prim. Thom. in praefat. p. 1. it. q. 27. artic. 5. p. 7. seqq. & q. 28. disp. III. cap. 1. p. 21. & c. 2. p. 22. & disp. 133. cap. 1. p. 134. Molina q. 27. in Prim. Thomae artic. 1. Disp. 5. p. 401. seqq. Tannerus T. 1. Theol. Scholastic. disp. 4. q. 1. dub. 2. p. 1071. & q. 2. dub. 1. pag. 1129. Martinon disp. 21. sect. 1. p. 461. & disp. 24. Theol. Scholastic. sect. 1. p. 471. seqq. Granadus in Prim. Thom. Tom. 3. c. 2. praefat. p. 3. & disp. 2. p. 23. seqq. Aldrete in Prim. Thom. Tom. 2. disp. 2. sect. 4. p. 12. Gonet. Tom. 2. Clyp. Theol. Thom. disp. prooem. p. 133. & disp. 2. p. 151. seqq. Rationes, quas adducunt in medium, ordine recenset Lalemandet. Tom. 2.

A 3

Tract.

Tract. Theol. de Deo Trino disp. 1. membr. 2. p. 9. seqq. qui illas omnes incertas & dubias, nec non cum fallio saepe communes esse, ipsa veritate rei coactus p. 15. confiteri tenetur.

III.

Si certam Trinitatis notitiam sibi comparare posset ratio; intellecta ejus conditione statim cum *Svarezio l. cit. l. 4. c. 5. p. 412. Granado l. cit. disp. 4. sect. 2. p. 75. seqq. Becano T. 1. Oper tract. 2. cap. 2. q. 5. p. 95. Molina l. cit. q. 28. artic. 2. disp. 6. conclus. 3. p. 440. Martinon l. cit. disp. 14. sect. 1. num. 3. p. 472. Antonio Bernaldo de Quirus in Disp. Theol. tract. 2. disp. 17. sect. 2. p. 136. & sect. 8. p. 142. D. Jacob. Martin. lib. 2. de Trib. Elobum c. 48. p. 440. B. Dorscheo P. 2. Theol. Zachar. disp. 6. §. 16. p. 241. & caeteris, quos illi nominant, Philosophus sentiret, de Essentia Dei absolute accepta divinas non esse Personas. Eandem quidem de hac re controversa sententiam fert *Gibbon de Burgo T. 2. Theol. Schol. disp. 10. dub. 5. p. 327.* rem tamen accurate non exponit, quando p. 330. haec loquitur verba: *Esse trinum convenit Deo accidentaliter praedicabiliter.* Addit quidem: *Id est extra essentiam Dei.* Quoniam vero esse extra essentiam & accidentaliter praedicabiliter dici multum inter se differunt, ab hac dicendi ratione merito abstinemus. Multi, qui Thomam sequuntur, procul a nobis recedunt, inter quos speciatim *Gonet l. cit. d. sp. 3. artic. 2. §. 2. p. 185.* argumenta in contrariam partem attulit. Recte sentiunt *Svarex l. cit. c. 7. p. 414. Granadus l. cit. & Gibbon de Burgo l. cit. p. 332.* Essentiam Dei esse de essentia Personae, concretive acceptae. Pariter statuimus, quod Trinitas sit de essentia Dei relative spectati. Nec in errorem inducitur, qui hanc *Vasquezii disp. 121. c. 2. p. 71. T. 2. & Molinae l. alleg. concl. 4. p. 441.* hypothesein; Essentia non est de*

est de intrinseca ratione relationis, suam facere apud se constituit; Personam modo abstractam vel nudum subsistendi modum, aut modos subsistendi oppositos & Naturae contradistinctos intelligat. Ex his simul cognoscimus, quid de hac *Poireti* propositione: *Sacrosancta Trinitas est Deo essentialis,* & de argumento, quo nititur, vid. *Cogit. Ration. l. 3. c. 8. p. 229.* judicari debeat.

IV.

Rebus ita se habentibus de vero veri Dei conceptu lata est sententia, de qua re cum *Wolzegio Leydeckerus Fac. Verit. Loc. 4. contr. 8. p. 218. seqq.* & cum hoc *Allinga Fac. Dissid. extinct. c. 38. p. 84. seqq.* multis rationibus disputant. Nam si Trinitas Essentiam Dei absolute positam formaliter non constituit, dici profecto non potest, quod Trinitas sit de conceptu veri Dei absolute considerati. Quoniam vero Trinitatem de Essentia Dei relative accepti esse argumentis comprobatum est, nullus quoque erit verus Dei relative spectati sine Trinitatis recordatione conceptus. Pro certo quidem habemus, quod essentialis Dei veritas sine proprietatibus tam essentialibus quam personalibus ne quidem ad momentum nostri temporis possit consistere; ex his tamen non recte concludit ratio: Nemo, nisi Trinitatis mentionem simul faciat, de Essentia Dei animo concepta absque magno errore cogitabit. Ut nodos, quos nectunt Auctores, commode solvamus; ipsa rei necessitas flagitat, ut conceptum Essentiae absolute positae simplicem sive nudum, quem verum esse judicamus, a conceptu cum errore composito vel cum negatione aut attributorum aut personarum conjuncto, per diligerenter separemus. Cognoscit ergo Philosophus verum Deum, qua Essentiam absolutam; licet verum Deum ignoret, qua Essentiam relative consideratam. Est quo-

quoque haec ignorantia simplex, & cum nulla Trinitatem oppugnandi libidine copulatur.

V.

Incomprehensibilis Dei Natura 1) non est verum corpus, de quo vid. noster *Klotzius disp. 4. Theol. Natur. §. 65. sq. p. 247. sq.* nec in modum corporis se habet, quam Epicuri opinionem non potest tueri *Gassendus T. 1. Oper. Phys. sect. 1. l. 4. p. 299. Vorstius in Amica Collatione sect. 34. §. 55. p. 29.* auctoritate Tertulliani se defendere conatur, & corporaliter, inquit, idem est quod essentialiter, sive idem quod personaliter. *Maresius* putat in *Fascic. Myrrhae speciatim Paradox. §. 42. p. 169. sqq.* corpus Deo convenire, quatenus est nihil aliud quam substantia, *mero phantasmati aut nudo accidenti opposita.* Sed quia corporis nomen causa saepius erroris est; contra *Maresium* recte statuit *Voetius Part. 5. disp. select. p. 628. sqq.* quod vox corporis de Deo praedicari non debeat. 2) Formale Essentiae divinae constitutum, non est omnis Dei Perfectio, ut sentit cum multis Scholasticis *Quiros l. cit. Tract. 2. disp. 17. sect. 6. p. 149.* 3) Non est, Ens omni perfectum, prout loquitur *Schulerus lib. 2. Exercit. Philos. Exercit. 6. p. 133.* 4) Non est Infinitas, quod in ore Scoti fuisse in *Chyp. Theol. Thomist. à Gonet. l. cit. p. 49.* traditur. 5) Non est Omnipotentia, quod *Amesium* dixisse refert *Paulus Voetius c. 14. Theol. Natur. §. 6. p. 377.* 6) Non est Intellectus, cujus opinionis Auctores citat *Gibbon de Burgo l. cit. p. 88. sqq.* 7) Non est Intellectio, quod a multis approbatur Scholasticis, & speciatim a *Gonet. p. 57.* Hos sequuntur *Cartesiani*, vid. *Allinga Erotem. 10. Decad. 8. Wittich. c. 15. n. 207. q. 177. in Comment. de Deo §. 4. seqq. p. 339. sqq.* *Bontekoe Metaph. p. 31.* qui Deum substantiam cogitantem esse arbitrantur. Sed 8) Spiritus est Conceptus Dei communis proximus; primo vero proprium Independentia constituit.

S. D. G.



EXERCITATIO MATHEMATICA^{XV}
DE
SITU TELLURIS,
Quam
DIVINI NUMINIS GRATIA
ANNUENTE,

SUB PRÆSIDIO
M. CHRISTIANI SAHMII,
Mathematicum Professoris Publici Ordinarii,

&
Rectoris Johannitani,
IN AUDITORIO ANATOMICO
ATHENÆI GEDANENSIS,

publicæ ventilationi
exponet
RESPONDENS
LEONHARDUS GEBAUERUS,
Silesius.

Anno M DCCII. die 14. Junii. Hor. VII.

GEDANI,
Excudit JOHANNES-ZACHARIAS STOLLIUS,
ATHEN. TYPOGR.